

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aspirationes mentis et cordis - Cod. Ettenheim-Münster 82

Landsberg, Johannes Justus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput 4tum

[urn:nbn:de:bsz:31-108793](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108793)

11
Tura omnia bona, quæ sunt in te, apud te enim
non est transmutatio, nec vicissitudinis obum-
bratio. Hoc scio Domine, et hoc summopere
solatur animam meam; quantum enim sola-
tium animæ meæ, posse possidere bonum, quod
non desinet in ævum, nec ab ea auferetur in-
æternum. O Stoliditas mentis meæ, quod hacte-
nus rebus perituris, et bonis volubilibus
hujus sæculi cor meum apposuerim, tibi vero
ô Domine Deus, qui es verum, ac æternū bonū
meum unice non adheserim. O Deus meus, ô
dulce solatium cordis mei, ô amabile lumen
mentis meæ, illucesce mihi, ut in meridiem
clarissimum vertantur tenebræ cœcitatatis meæ.
Da mihi, obdormire in sinu amoris tui, ibiq;
terrenarum rerum penitus oblivisci; nihil quip-
pe mihi melius, nihil utilius, aut iucundius,
quam tibi, ô summum ac æternum bonum meū
intimo amore coniungi.

Jac. 1.

Caput 4^{um}

Aspirationes ad Deum ob ejus perfectionem.

1 O Dulcissime Redemptor Christe Jesu,
dixisti: nemo bonus, id est, nemo perfectus,
nisi Deus; Tu es enim ô Deus meus, te ipso
perfectus, semper perfectus, ex omni parte

Cuc. 18.

perfectus, quia tu solus es actus purus nihil ha-
 bens admixtum potentia, quemadmodum creatu-
 ra; in te enim est omnis gradus nobilitatis,
 omnis gradus excellentiae, omnis gradus ma-
 gnitudinis, omnis gradus potentiae, verbo
 omnis gradus perfectionis et nihil est in te,
 quod ulterius perfici possit, quia omnia in
 te sunt infinita, et prorsus immensa, quo fit,
 o amantissime Deus, ut etiam infinito amore
 sis dignus. Haec credo, haec ultro fateor Domi-
 ne Deus meus, et tamen in tuum amorem
 necdum rapior. Domine ante te omne deside-
 rium meum et gemitus meus a te non est abs-
 conditus. Ah medullas torpentis anima mea
 flammis salutaribus adeo succende, ~~et per in-~~
~~quis amore ardens~~ lacrymas te requiram die ac nocte,
 nec desistam, donec te inveniam.

q. ut loquar Deum
 amore aspers

2. Domine Deus meus sicut omnis per-
 fectionis es origo, sic in te ipso perfectissi-
 mus es, cum tibi prorsus nihil desit ut sis Deus.
 Non potentia, non virtus, non sapientia, aut qua-
 vis alia perfectio, cum tuum esse divinum sit
 ipsa potentia, sit ipsa virtus, ipsa sapientia,
 ipsa bonitas, ipsa nobilitas, ipsa pulchritudo,
 ipsa magnitudo, ipsa plenitudo boni et perfec-
 ti. Ecce tantus et talis es o Sponse anima mea
 vere diligendus super omne id, quod non est Deus,
 quis enim similis tibi in bonitate, in pul-
 chritudine, in potentia, in suavitate, in di-
 opulencia, ceterisque mirabilibus tuis. Ah te invoco in

etiam magnitudine. ~~Ad te~~ ~~in~~
animam meam, o summum ac perfectum bo-
num meum. Da o dulcissime Deus, ut tui
amore totus a me ipso deficiam, te solum
sciam, et sentiam, in te solo exultem, et
conquiescam.

3. Credo Domine Deus meus te in magni-
tudine immensum, in virtute omnipotentem
in bonitate summum, in sapientia inestima-
bilem in pulchritudine super omnia deside-
rabilem, in dulcedine ineffabilem, in iudiciis
terribilem, in consiliis incomprehensibilem
in operibus mirabilem in splendore sereni-
tatis tuae inenarrabilem in Majestate tua
summe spectabilem. Credo te absque fine et prin-
cipio aeternum, sine extensione omnia implentem,
sine situ ubique presentem, nihil te superius,
aut majus habentem, atque per omnem, et su-
per omnem modum cuncta, quae bona sunt pos-
sidentem, ^{verbo} ~~ide~~ infinitum perfectum. Haec credo ^{in omnibus}
Domine Deus, et prociens coram te, adoro, ac
veneror te; et quia dignus es omni amore; ideo
cupio te amare, quantum possum, et debeo, ut
tu solus sis tota intentio mea, et omnis delec-
tatio mea. Deus meus et omnia.